

## DISPUTATIO XXIV.

*De essentia gratia habitualis.*

**G**Ratia habitualis, quia animam ad esse supernaturale elevat, eam divinæ naturæ reddit participem, estque radix exigitiva virtutum tanquam principiorum supernaturalium proximè supernaturaliter operatorum, hinc primò post expositam gratiæ necessitatem consideranda venit ex effectibus suis formalibus tam secundariis quam primario, ex quibus essentia gratiæ habitualis cognoscitur.

## QUÆSTIO I.

*Quid sit gratia habitualis & an distinguatur realiter à Charitate & gratiâ actuali?*

**H**æretici negant gratiam esse formam nobis inhærentem, quâ formaliter reddimur justi, sed totam justificationem in hoc constituunt, quod Christianus credat in Christum & propter Christum peccata non imputari, indeque homines esse justos & sanctos per solam justitiam & sanctitatem Christi eisdem imputatam. Plures Catholicij gratiam habitualem quidem admittunt, esse qualitatem nobis inhærentem, sed volunt esse indistinctam ab habitu Charitatis.

**DICO I.** *Donum gratia qualitas quedam est* S Th. hic Q. 110. a. 2. O. Sive gratia habitualis est aliquid intrinsecum animæ non transiens sed permanens.

Explicatur & probatur: quod gratia sanctificans sit quædam qualitas supernaturalis animæ, cui infunditur permanenter inhærens, est veritas fidei fundata in scripturâ ut illo 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam que in te est* & 1. Jois 3. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit quoniam semen ipsius* (intellige gratia)



gratia) *in eo manet*. Definita est etiam à Trid. sess. 6. de justif. Can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione iustitiæ Christi vel solâ remissione peccatorum, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inheret, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei anathema sit.*

Ratio fundamentalis desumitur ex differentiâ, quæ est inter amorem hominis & amorem Dei, & in hoc consistit, quod amor Dei sit efficiens in Creaturis bonum proportionatum fini in ordine ad quem diligimur: cum Deus sit principium omnis boni; amor autem hominis vel alterius Creaturæ præsupponit in aliâ Creaturâ dilectâ bonum tanquam motivum sui amoris. Ex quo hoc formatur argumentum; hominem esse in gratiâ Dei vel Deo gratum, est illum specialiter esse dilectum à Deo in ordine ad finem supernaturalem; atqui hoc dicit in homine esse aliquid intrinsecum supernaturale, quia, ut homo sit specialiter dilectus à Deo in ordine ad finem supernaturalem, necesse est illum esse objectum proportionatum talis specialis amoris, sed absque aliquo supernaturali intrinseco, quod est gratia sanctificans, homo non est objectum tale: cum præcisè secundum naturalia homo diligatur dilectione communi, quâ Deus diligit omnia quæ sunt, & quæ fecit; ergo ut homo sit dilectus à Deo amore singulari in ordine ad finem supernaturalem debet habere aliquid supernaturale intrinsecum elevans hominem ad ordinem supernaturalem, reddensque illum justum & gratum, quod est gratia habitualis. Ex quo sequitur, quod sit qualitas supernaturalis animæ permanentemente inhærens, in quo convenit cum aliis habitibus supernaturalibus, & distinguitur à gratiâ actuali, quæ est motio quædam transiens: cum gratia habitualis sit qualitas permanens, per quam infantes in

Bap-

De Es:  
Baptismo iust  
transiens su  
DICO 2.  
qualitas. I  
endo quædam  
fieri eorum pr  
a. 3. ad 1.  
Probat 1.  
bus infans dil  
supernaturale e  
naturaliter ope  
ur realiter ab e  
nem ad esse sup  
tali; ergo;  
naturaliter sua  
supernaturali h  
antibus hab  
er elicit; u  
in naturalite  
supernaturale pe  
bituum sup  
tendi & prin  
quod in ordine  
qualitate, qu  
sit radix habi  
Probat 2.  
sanctificantis su  
quia quorum un  
Ordine superna  
andi supernatu  
modum in  
distinguitur re  
no, sed gratia  
habet ut princi  
principium pr



Baptismo justificantur, qui tamen alterius motionis transeuntis sunt incapaces.

DICO 2. *Gratia reducitur ad primam speciem qualitatis. Nec tamen est idem quod virtus, sed habitudo quadam, quæ presupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium & radix.* S. Th. hic Q. 110. a. 3. ad 3.

Probat<sup>ur</sup> 1. Generaliter gratiæ ab omnibus virtutibus infusis distinctio: quod elevat hominem ad esse supernaturale distinguitur realiter ab habitibus supernaturaliter operativis, sicut esse in Creaturis distinguitur realiter ab operari, sed gratia habitualis elevat hominem ad esse supernaturale, quem invenit in ordine naturali; ergo; sicut igitur homo in ordine naturali connaturaliter suas operationes elicit, ita etiam in ordine supernaturali homo suas operationes supernaturales mediantibus habitibus supernaturalibus quasi connaturaliter elicit; ut autem tales operationes supernaturales connaturaliter eliciat, necesse est, eum elevari ad esse supernaturale per aliquid ipsi inhærens, quod sit radix habituum supernaturalium, ut ita inter principium essendi & principium operandi servetur proportio, ad quod in ordine supernaturali providit Deus de aliquâ qualitate, quæ animam elevet ad esse supernaturale & sit radix habituum supernaturalium.

Probat<sup>ur</sup> 2. Quod speciatim illud donum gratiæ sanctificantis sit habitus realiter distinctus à Charitate: quia quorum unum se habet, ut principium essendi in Ordine supernaturali; & alterum ut principium operandi supernaturaliter, illa distinguuntur realiter: quemadmodum in ordine naturali principium essendi distinguitur realiter à principio immediatè operativo, sed gratia habitualis in ordine supernaturali se habet ut principium essendi & habitus charitatis ut principium proximum operandi supernaturaliter: quia



quia per gratiam habetur formaliter participatio p<sup>r</sup>incipii naturæ, per charitatem participatio principii dilectivi; virtus in communi præsupponit esse naturæ quod perficit, ita virtutes infusæ & supernaturales præsupponunt aliquod esse supernaturale, quod in ordine supernaturali se habet per modum naturæ, cujus virtutes sunt quædam perfectiones operativæ.

*Obj. 1.* Secundum D. Th. Q. 27. de verit. A. 2. ad 7. gratia non potest propriè dici habitus.

*R.* Distinguendo: gratia non est propriè habitus operativus ut scientia & alii habitus virtutum *Con. quia non immediate ordinatur ad actum sed ad quoddam esse spirituale*, ut inquit S. D. loc. cit. non est propriè habitus entitativus N. quia comprehenditur sub primâ specie qualitatis, quæ dicitur habitus: quia est qualitas ex naturâ suâ difficulter mobilis à subjecto; quamvis enim gratia in hoc statu viæ sit per accidens faciliter mobilis à subjecto propter imperfectam gratiæ participationem, & quia non est in statu connaturali; attamen per se & ex naturâ suâ est difficulter mobilis à subjecto: quia habet causas firmas & stables, unde in patria, in qua est in statu connaturali est immobilis & incorruptibilis.

*Obj. 2.* Odium Dei nihil ponit intrinsecum in homine, quem odit; ergo nec amor Dei ponit aliquid intrinsecum in homine, quem amat, sed solum facit, quod homo sit objectum extrinsecum amoris divini.

*R.* N. conseq: disparitas est 1. quia homo ex se est objectum odii divini propter peccatum, non potest autem ex se esse objectum amoris supernaturalis. 2. Amor est actus persecutivus, unde si non inveniat in objecto bonum, in quod tendat, debet illud ponere, odium vero est per modum fugæ, unde non debet aliquid in objecto ponere, sed ab illo prorsus tollere.

*Obj.*

De Es  
Obj. 3.  
erga electos  
destinatio ser  
firmiter aliqu  
liatus omnib  
Disting  
nit prædestina  
te, no præd  
minum prædes  
am Dei inclu  
tand electos  
ut amicos, n  
am mortalis;  
in objecta o  
Obj. 4. Si  
aliquid nobilit  
neat; non qu  
um supernatu  
ria substantia  
re. Quod sul  
stendi anima  
bet per mo  
accidentis; se  
quod præstanti  
um, & ita  
re oppositæ di  
di esse ignobili  
tem esse nobili  
bus naturalibus  
stantiâ. Und  
tem quoad spec  
perfectiorem in  
minem Christo  
ipsum Dei cum  
clicativam ipsi



*Obj. 3.* Prædestinatio specialem Dei amorem erga electos includit, & tamen non supponit prædestinatio semper aliquod intrinsecum: cum prædestinatus aliquando sit in statu peccati mortalis, spoliatus omnibus donis supernaturalibus.

*R.* Distinguendo 2. dam partem ant. non supponit prædestinatio aliquid intrinsecum, pro tempore, quo prædestinatus est ordinatus ad ultimum terminum prædestinationis N. pro alio tempore Con. amor Dei inclusus in prædestinatione solum terminatur ad electos pro illo tempore, quo illos respicit, ut amicos, non pro illo, quo sunt in statu peccati mortalis: tunc quippe deputantur ad pœnam & sunt objecta odii.

*Obj. 4.* Si gratia sit qualitas animæ inhærens vel est quid nobilius, vel ignobilius anima; neutrum dici potest: non quod sit ignobilius: quia gratia est donum supernaturale; non etiam quod sit nobilius: quia substantia est nobilior accidente.

*R.* Quod sub unâ ratione vel secundum modum essendi anima sit quid nobilius gratiâ: quia anima se habet per modum substantiæ, gratia per modum accidentis; secundum aliam rationem gratia est quid præstantius animâ: quia est participatio naturæ divinæ, & ita videntur optimè conciliari sententiæ oppositæ dicendo: gratiam quoad modum essendi esse ignobiliorem substantia, sed quoad entitatem esse nobiliorem non tantum omnibus accidentibus naturalibus & supernaturalibus, sed & ipsâ substantiâ. Unde Deus non potest producere qualitatem quoad speciem perfectiorem ipsâ gratiâ sicut nec perfectiorem matrem matre Dei, perfectiorem hominem Christo, perfectiorem beatitudinem visione ipsius Dei cum hæc omnia respiciant tanquam specificativum ipsum Deum.

*Obj-*



*Obj. 5.* Charitati tribuuntur omnes effectus, qui tribuuntur gratiæ sanctificanti: ut quod faciat Deo gratum, efficiat Dei amicum &c. ergo gratia non distinguitur à charitate.

*R.* Eosdem quidem effectus tribui gratiæ & charitati, sed non eodem modo: ut hominem esse à Deo formaliter dilectum, Deo gratum, filium Dei: soli gratiæ convenit tanquam causæ formali non autem charitati, sed illi convenit solum ratione suæ radicis hoc est gratiæ quam præsupponit; nam charitas proprio formali effectum habet facere nos dilectores Dei seu proximè habiles ad diligendum Deum, supponit autem quod simus à Deo dilecti, & quod Deus in nobis produxerit effectum suæ gratuita dilectionis: hoc est: gratiam, quâ sumus à Deo formaliter dilecti.

*Obj. 6.* Gratia & charitas habet eundem effectum in genere causæ efficientis: charitas enim, sicut & gratia, est causa & principium bonorum operum.

*R.* Illos effectus non eodem modo procedere à gratiâ, quomodo procedunt à charitate: quia gratia est radix bonorum operum, charitas est principium proximum operativum; gratia immediate dignificat personam, & ità mediatè dat dignitatem operibus: quia procedunt à personâ dignâ; charitas immediate dignificat ipsa opera: quia vel formaliter vel virtualiter ea refert in finem charitatis, & ità charitas dat dignitatem ex parte operis, & gratia ex parte operantis; ità etiam gratia & charitas non sunt eodem modo forma cæterarum virtutum: charitas est forma ex parte actus, in quantum omnes actus aliarum virtutum in finem ultimum ordinat, gratia est forma virtutum ex parte originis, in quantum ex ipsâ gratiâ formaliter oriuntur habitus cæterarum

De Es se  
rarum virtutum  
tionalis d'pert  
*Obj. 7.* Si  
ter, poterit pe  
esse separata à c  
abardsequere  
non civitatem  
am non foret  
adi si in orere  
habere jus ad æ  
tatur: quia r  
n. Permissio  
non non sequ  
tus, non tat  
tate: quia  
æterna velut h  
tamen obtin  
ia non eliceret  
*Obj. Ult.* fo  
forma just  
tatis ad Gal.  
quid valet, neq  
tatem operatur.  
1. Joannis 3.  
nam diligimur.  
magis juxta eund  
Qui manet in  
Tid. Iess. 6. d  
Deus formal  
at, verba sunt:  
in merita passio  
antur: id tamen  
sanctissima pa  
charitas Dei diffu  
santur atque ipsi  
1. 2. Theol.



DE ESSEN. GRATIÆ HABITUALIS. 625  
rarum virtutum per diversas potentias creaturæ na-  
tionalis dispersi.

*Obj. 7.* Si gratia distinguatur à charitate reali-  
ter, poterit per possibile vel impossibile concipi aut  
esse separata à charitate, ex quâ Hypothesi plurima  
absurda sequerentur: vid, quod habens gratiam &  
non charitatem imprimis foret Deo gratus per grati-  
am & non foret gratus: quia non diligeret Deum,  
adò. Si inoreretur fieret salvus: quia per gratiam  
haberet jus ad æternam salutem, & etiam non sal-  
varetur: quia nemo salvatur sine charitate.

*R.* Permisso tali casu Mataphisico hæc absurda  
tamen non sequerentur: quia talis homo esset Deo  
gratus, non tamen dilectus Dei. Salvaretur sine  
charitate: quia per gratiam esset filius Dei, cui vi-  
ta æterna velut hæredi paterna hæreditas deberetur,  
non tamen obtineret per meritum vitam æternam:  
quia non eliceret opera meritoria.

*Obj. Ult.* forma nos justificans est gratia; at-  
qui forma justificans per Apostolum dicitur esse  
charitas ad Gal. 3. *In Christo Jesu neque circumcisio  
aliquid valet, neque præputium sed fides, qua per cha-  
ritatem operatur.* Charitas est animæ vita juxtâ il-  
lud 1. Joannis 3. *Translati sumus de morte ad vitam,  
quoniam diligimus fratres.* Charitas nos Deo con-  
jungit juxtâ eundem præconem charitatis 1. Joannis  
4. *Qui manet in charitate, in Deo manet;* demum  
Trid. sess. 6. de justif. cap. 7. justitiam, quâ  
nos Deus formaliter justos efficit charitatem appel-  
lat, verba sunt: *quanquam nemo possit esse justus, nisi  
cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi commu-  
nicantur: id tamen in hac justificatione fit, dum ejus-  
dem sanctissima passionis merito per Spiritum Sanctum  
charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justi-  
ficantur atque ipsis inheret.*

1. 2. Theol. Schol. S 8

*R.* di-



3. Distinguendo omnes textus de formâ justificante formaliter Negando justificante consecutivè Concedendo nec immeritò tali modo hæc omnia explicantur, si fiat reflexio, quod gratia sit mater & charitas sit filia indefinenter matrem concomitans: gratia enim est radix charitatis & prima proprietas gratiæ eam semper consequens est charitas, idè effectus charitatis quandoque tribuuntur gratiæ & econtrà effectus gratiæ charitati magis quam alii virtuti: quia charitas est prima & inseparabilis proprietas gratiæ.

## Q U Æ S T O II.

*An gratia constituat formaliter hominem filium Dei adoptivum?*

**A**doptio est gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem; quemadmodum autem homo alium hominem à se non genitum nec mediate nec immediate procedentem filium adoptivum facit, dum illi dat jus ad hæreditatem ac si esset filius; ità Deus nos homines Dei filios adoptivos facit, dum nobis extraneis omninò dat jus ad æternam vitam velut hæreditatem, cum tamen ex nobis nullum jus habeamus, imò tali hæreditate sumus indignissimi, hujus adoptionis metaphoricæ meminit script. Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis.* Ephes. 1. *predestinavit nos in adoptionem filiorum.* sed controversia theologica est: an hunc effectum adoptivæ filiationis præstet sola gratia sanctificans, ità ut per solam gratiam sanctificantem sine ullo dono vel favore extrinseco constituatur homo filius Dei adoptivus?

**DICO** Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratia minus ad hæreditatem caelestem percipi-

De Ess  
pindam S. 7  
gratia constit  
Probatu  
per gratiam b  
tivus: quia g  
ta ad formale  
runt. Anal  
quidloptans  
2. Tribuat j  
formaliter  
ad conferend  
omnia præstat g  
tam participat  
Q. sequent  
actem: qui  
una, princip  
oris fruitivi.  
formaliter l  
Probatu 2.  
tam Dei adop  
vel favore extri  
De filius forma  
genitus: filiat  
tione fundatur  
naturali; atqu  
tantis homo f  
vivens vita spiri  
naturæ, quod  
operationum vi  
vid. charitatis  
um supernatura  
Obj. 1. Per  
Dei adoptivus j  
qualem charitat  
vivemur & sumo



*piendam S. Th. 3. P. Q. 23. A. 1. fin. O. sive gratia constituit filium Dei adoptivum se solâ.*

Probatur 1. ma Pars: imprimis creatura rationalis per gratiam formaliter constituitur filius Dei adoptivus: quia gratia sanctificans habet omnia requisita ad formalem adoptionem, ad quam 3. requiruntur 1. Analogica convenientia cum natura divina: quia adoptans debet esse similis adoptato in natura. 2. Ut tribuat jus ad hæreditatem cælestem. 3. Ut faciat formaliter Deo gratum & acceptum in ordine ad conferendum bonum æternæ beatitudinis; illa omnia præstat gratia sanctificans nam 1. homo per illam participat divinam naturam analogice ut dicitur Q. sequenti. 2. gratia tribuit jus ad hæreditatem cælestem: quia gratia consummata in Patria est vita divina, principium radicale visionis beatificæ & amoris fruitivi. 3. Gratia remittit peccata & constituit formaliter hominem Deo gratum.

Probatur 2. da Pars quod sola gratia hominem filium Dei adoptivum faciat præciso omni alio pacto vel favore extrinseco: ut quis constituatur adoptivus Dei filius formaliter, debet esse spiritualiter à Deo genitus: filiatio enim adoptiva in spirituali generatione fundatur, sicut filiatio naturalis in generatione naturali; atqui per solam infusionem gratiæ sanctificantis homo spiritualiter nascitur; quia procedit vivens vita spirituali à Deo vivente in similitudinem naturæ, quod fit per gratiam; cum illa sit radix operationum vitalium ordinis supernaturalis, actus vid. charitatis, visionis beatificæ aliorumque actuum supernaturalium.

Obj. 1. Per charitatem potest quis constitui filius Dei adoptivus juxta illud 1. Joannis 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.*



R. Negando ass. textus probat quod filii adoptivi Dei habeant charitatem, non vetò quod charitas sit ipsa adoptionis forma. Quia per illud formaliter constituitur quis in esse filii, per quod participat naturam & essentiam, quæ est radix proprietatum; atqui per gratiam quis participat naturam vitæ spiritualis, juxtà illud 1. ad Cor. 15. *gratia Dei sum id, quod sum*; per charitatem autem participatur proprietates vitæ supernaturalis.

Obj. 2. Si alicui infunderetur habitus charitatis sine gratia, is esset filius Dei adoptivus: quia haberet jus ad æternam gloriam, quia non posset damnari: cum nullum haberet peccatum, quod cum charitate est impossibile.

R. 1. Casum illum implicare ut enim docet S. Th. in 2. dist. 16. Q. 1. A. 4. ad 5. Charitas nunquam potest esse sine gratia; quamvis enim Deus de potentia absoluta posset essentiam separare à suis proprietatibus, non potest tamen facere, quod aliqua proprietates existat in aliquo subjecto sine essentia, à qua dimanat, præsertim, si talis proprietates sit vitalis: potentia enim vitales nequeunt subsistere sine principio vitali, in quo radicantur, charitas autem est potentia vitalis in linea supernaturali, ergo nequit existere sine gratia sanctificante, quæ est prima radix vitæ supernaturalis & in ordine supernaturali gerit vices naturæ.

R. 2. Admissò casu, quod daretur charitas sine gratia, talis habens charitatem non damnaretur: quia non haberet peccatum; non etiam salvaretur: quia non esset idoneus ad gloriam, sed pertineret ad divinam providentiam ei providere vel de gratia, qua fieret ad gloriam idoneus, vel de aliquo alio sine ultimo ipsi proportionato, qualis esset notitia abstractiva Dei, ut Authoris naturalis & supernaturalis.

Obj.

DE ESSEN  
Obj. 1. Pot  
mini in caciter  
conferendi grat  
beat essentialen  
moinli casu e  
no exoente JC  
assumptio perso  
illam volunt  
rueset persona  
tu Ergo.  
Negando  
adoptivum non f  
ultra reditatem  
nim quis alteri  
nod in filium a  
ctus communi  
ssibile foret;  
realiter con  
adoptivâ debet  
ctum natura;  
etiam Deus a  
nunicare natura  
lam,  
Obj. 4. Ad  
nificax & con  
adoprao, ut pa  
ergo licet Deus n  
conferendi grat  
posset esse filius I  
N. conseq  
te non est facultat  
nec secundum ce  
dom participatio  
affectus conditi  
naturam, verur



*Obj. 3.* Potest Deus de potentiâ absolutâ velle homini efficaciter gloriam absque efficaci voluntate conferendi gratiam habitualem; cum gloria non habeat essentialem dependentiam à gratiâ; atqui homo in tali casu esset filius Dei adoptivus; cum adoptio ex mente JCorum nihil aliud sit, quam gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem, illa autem voluntas Dei foret gratuita & homo assumptus esset persona extranea respectu divinæ hæreditatis. Ergo.

&. Negando Mi. quia ad constituendum filium adoptivum non sufficit quæcunque liberalis assumptio ad hæreditatem, ut videmus in humanis: potest enim quis alteri promittere hæreditatem absque eo, quod in filium adoptet; sed prætereà requiritur affectus communicandi naturam, si necessarium vel possibile foret; sicut enim in filiatione naturali debet realiter communicari natura, ita in filiatione adoptivâ debet communicari affectivè seu per affectum natura; alias erit simplex hæres & non filius, sic etiam Deus adoptando hominem debet illi communicare naturam divinam, quod fit per gratiam solam.

*Obj. 4.* Ad veram adoptionem sufficit voluntas inefficax & conditionata communicandi naturam adoptato, ut patet in adoptione humanâ & civili, ergo licet Deus non haberet voluntatem absolutam conferendi gratiam sanctificantem, adhuc homo posset esse filius Dei adoptivus.

& N. conseq. disparitas est: in homine adoptante non est facultas communicandi adoptato naturam nec secundum convenientiam univocam, nec secundum participationem analogicam, ideoque sufficit affectus conditionatus & inefficax communicandi naturam, verum in Deo invenitur vis suam naturam



communicandi creaturæ rationali secundum participationem analogicam, ideoque ut adoptet aliquem in filium Dei, non sufficit conditionatus affectus, sed requiritur voluntas efficax & absoluta communicandi naturam.

*Obj. 5.* Deus de potentiâ absolutâ potest homini in gratia existenti & perseveranti negare in perpetuum gloriam, sed homo sic exclusus à consecutione gloriæ non esset filius Dei adoptivus: cum non stet filiatio adoptiva sine acceptatione ad hæreditatem adoptantis.

*R.* Dato tali casu metaphysico, talis non esset acceptatus ad hæreditatem cælestem in re *Con.* in jure *N.* quia retinet jus, quod essentialiter in gratia est fundatum, ad gloriam æternam, & ideo adhuc foret filius Dei adoptivus, tamen ab actuali assecutione hæreditatis impediretur, ut sæpe contingit etiam in humanis, quod habens jus ad hæreditatem violenter ab ejus assecutione impediatur.

*Obj. ult.* Si gloria ut hæreditas sit connaturaliter debita gratiæ, ergo habens gratiam non potest mereri gloriam; quod enim connaturaliter est debitum non cadit sub merito.

*R.* Existens in gratiâ non potest mereri gloriam sub ratione hæreditatis transeat eò quod Deus dans hæreditatem non constringatur illo jure, quin possit alligare actualem hæreditatis concessionem meritis. Sub ratione præmii *N.* nulla est implicantia, quod idem possit esse debitum sub diversis titulis vid. sub titulo hæreditatis & præmii, maxime quando id, quod est connaturaliter debitum non statim datur: ut fit in collatione gloriæ, sic enim Christus est meritis gloriæ Corporis, quæ tamen erat illi connaturaliter debita ratione unionis hypostaticæ.



## Q U Æ S T I O III.

*An gratia sit participatio divinæ naturæ?*

**S**UPpono imò. Participatio naturæ divinæ alia est moralis alia physica. Moralis est convenientia cum naturâ Dei secundum illud, quod morale est in naturâ divinâ, aut secundum rectitudinem moralem, sicut enim Deus est conversus ad seipsum, justus & Sanctus in omnibus operibus suis, ita facit gratia hominem ad Deum conversum justum & sanctum. Physica est convenientia cum naturâ Dei secundum id, quod in eâ est Physicum; sic natura divina seipsam intelligit, ut est in se. Seipsam sicut est in se intelligens sicut est in se amat, & ita videndo & amando se est beata; ita anima participans naturam divinam Deum videt sicut est in se eumque sic visum amat & videndo & amando est in Deo beata, quæ est participatio physica divinæ naturæ. Participatio physica alia est formalis, alia virtualis. Virtualis est quando participans & à quo fit participatio non formaliter conveniunt in perfectione participatâ, sed perfectio participata inferiori modo reperitur in participante, ita semen habet virtuales participationem naturæ generantis, à quâ deceditur: nam virtus generativa ad producendum simile in generante est formaliter & principaliter, in semine autem solum instrumentaliter; participatio formalis est, quando perfectio participata formaliter de utroque extremo prædicatur, quod potest fieri dupliciter vel univocè, quando perfectio participata est ejusdem rationis in utroque extremo, quamvis sit perfectiori intensione in illo, à quo fit participatio, quam in eo qui participat, sic aer univocè participat lumen à sole: quia secundum omnia prædicata formalia lumen æquè est in aère, ac in sole, licet in sole secundum plures gradus intensio- nis sit quam in aère, participatio analogica est, quan-



do quidem perfectio participata utrique extremo formaliter convenit in participante tamen non invenitur cum omnibus prædicatis formalibus & perfectionibus essentialibus, quæ ipsi conveniunt in illo, à quo fit participatio; ità homo participat à Deo justitiam & charitatem analogicè, quia istæ perfectiones sunt in Deo infinitæ illimitatæ & modo irrecepto, in creaturâ autem sunt limitatæ, receptæ &c.

*Suppono 2dò.* Quamvis omnes perfectiones divinæ sint una simplicissima perfectio, nos tamen ob imperfectiorem modum cognoscendi distinguimus plures perfectiones, secundum quod illa una simplicissima perfectio pluribus perfectionibus creaturarum æquivaler. Conceptus igitur explicitus distinctivus naturæ divinæ ab omnibus aliis perfectionibus in Deo repertus est, quod sit prima radix cæterarum perfectionum & operationum. His præsuppositis.

DICO. *Id quod substantialiter est in Deo accidentaliter fit in animâ participante divinam bonitatem, S. Th. hic Q. 110. a. 2. ad 2. Sive gratia habitualis est physica & formalis participatio naturæ divinæ.*

1ma Pars probatur: homo per gratiam sanctificantem dicitur renasci & nasci ex Deo, adoptari in Filium Dei ut patet ex script. Joannis 1. *Ex Deo nati sunt & dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* 1. Joannis 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit;* atqui generatio & Filiatio dicunt participationem divinam non solùm moralem sed & physicam: quia generatio est origo viventis à vivente ceu principio conjuncto in similitudinem naturæ, quæ tamen generatio non est substantialis sed accidentalis: sicut enim generatio substantialis fit per physicam substantialem participationem, ità accidentalis fit per participationem accidentalem physicam: quia uti in naturalibus natura substantialis sub conceptu naturæ est physicum radicale principium operationum.

De IESU.  
 rationum naturalium  
 quam elevata est n  
 principium radicali  
 naturam  
 ad hunc quo  
 naturam: pro  
 et hanc conven  
 naturam; atqui  
 naturam cum na  
 et essentia radix  
 Deus seipsum  
 natura est radix in  
 ut transcendit  
 1. Gratia  
 natura divinæ  
 ut est natura  
 Negando co  
 nature, entis infi  
 nature proprie et  
 naturam, ergo  
 esse supernatur  
 naturam divit  
 Ens per essenti  
 naturam actus puri,  
 naturam grati  
 2. Ens aliq  
 participari ab aliq  
 naturam est  
 naturas; atqui nat  
 naturam, contra gra  
 naturam &c.  
 Distinguendo  
 naturam nequit partici



rationum naturalium, ità in ordine supernaturali, ad quam elevata est natura rationalis, gratia habitualis est principium radicale physicum operationum supernaturalium.

2da Pars: quod gratia sit participatio formalis naturæ divinæ: probatur: formaliter aliquid participare est habere convenientiam formalem cum illo saltem analogicam; atqui gratia habitualis talem habet convenientiam cum naturâ divinâ: quia sicut natura Dei est eminenter radix omnis cognitionis & amoris in Deo, quibus Deus seipsum, ut est in se cognoscit & amat, sic gratia est radix intelligendi & amandi Deum, ut in se est & ut transcendit totum ordinem creatum & creabilem.

*Obj. 1.* Gratia sanctificans non est participatio formalis naturæ divinæ, ut infinita & immensa est; ergo neque ut est natura divina.

*R.* Negando conseq. ratio est: quia ratio actûs puri, Entis à se, entis infiniti est propria differentia Deo conveniens propriè etiam ut à creaturis supernaturalibus distinguitur, ergo etiam imparticipabilis est à creaturâ ad esse supernaturale elevatâ. Licet igitur gratia imitetur naturam divinam, quæ est actus purus, infinitus, Ens per essentiam; ipsam tamen infinitatem, rationem actus puri, aut Entis per essentiam & essendi plenitudinem gratia sanctificans non potest exprimere.

*Obj. 2.* Ens aliquod infinitum non potest physicè participari ab aliquo finito: quia physicè participare alicujus naturam est participare perfectiones illius constitutivas; atqui natura divina est Ens infinitum, actus purus, econtrâ gratia est ens ab alio, finitum, contingens &c.

*R.* Distinguendo maj. Ens infinitum, ens per essentiam nequit participari ab ente finito & limitato perfe-



etè, adæquatè & univocè Con. imperfectè, inadæquatè & analogicè N.

*Obj. 3.* Natura divina formaliter consistit in actualissimo intelligere; sed gratia non participat actualissimum intelligere; cum gratia tantum sit radix luminis gloriæ & visionis beatificæ, ergo non participat naturam divinam formaliter ut natura est.

*R.* Non participat formaliter naturam divinam adæquatè Con. inadæquatè N. explicatur: natura divina formaliter consistit in actualissimo intelligere, quod eminenter in se continet principium radicale intelligendi, virtutem intellectivam & ipsam actualem intellectionem sine ullâ virtuali etiam distinctione: cum sit actus purus intelligendi exprimens quidquid est actualitatis in intelligendo; at gratia totum hoc non participat, sed solum participat naturam divinam, in quantum natura divina est principium radicale intellectionis divinæ & radix operationum supernaturalium pro objecto suo connaturali habentium Deum, sicut est in se.

*Obj. 4.* Implicat imago creata, quæ repræsentet Deum sicut est in se; ex hoc enim capite negant Thomistæ speciem creatam, per quam videatur Deus sicut est in se; ergo etiam implicat aliqua forma creata, per quam homo formaliter participat naturam divinam.

*R.* N. consequentiam; disparitas est: quod species intelligibilis se teneat ex parte objecti; cum autem natura divina ex se ob summam immaterialitatem sit perfectissimè intelligibilis, non potest dari species creata, quæ reddat Deum intelligibilem; gratia verò se tenet ex parte subjecti, & est forma non repræsentans Deum sed hominem faciens Deo simillimum & divinæ naturæ consortem, quod non repugnat formæ creatæ.



## QUÆSTIO IV.

*In quo subjecto sit gratia?*

**Q**UÆSTIO est de subjecto immediato gratiæ.  
**DICO.** *Anima est subjectum gratiæ secundum quod est in specie intellectualis vel rationalis naturæ.*  
 S. Th. hic Q. 110. a. 4. ad 3.

*Probatur:* imprimis subjectum immediatum gratiæ est anima: quia illud est subjectum immediatum gratiæ, cui primò & per se communicat suum effectum formalem vid. filiationem Dei adoptivam; atqui hic effectus primò communicatur essentiæ animæ: anima siquidem regeneratur per gratiam in novam creaturam: quia fit particeps naturæ divinæ; sicut enim homo secundum intellectum participat divinam intellectualitatem in patriâ mediante lumine gloriæ, in viâ mediante virtute fidei. Secundum voluntatem participat divinum amorem per virtutem charitatis Theologicæ, ità homo secundum essentiã animæ participat per gratiam sanctificantem naturam divinam secundum quandam similitudinem: gratia enim se non habet per modum virtutis operativæ, sed per modum naturæ dantis radicaliter posse operari supernaturaliter. Deinde gratia sanctificans per suas proprietates est in potentiis animæ: quia gratia sanctificans est principium radicale virtutum supernaturalium, ità ut juxtã exigentiam subjecti simul cum ipsâ infundantur, & ab eâ velut proprietates in potentiis animæ deriventur virtutes supernaturales: gratia enim ad virtutes supernaturales comparatur, sicut anima ad potentias suas naturales, & sicut ab animâ dimanant potentiæ naturales, ità à gratiâ sanctificante in potentiis naturalibus animæ dimanant virtutes supernaturales.

*Obj. 1.* In illo subjecto immediatè subjectatur gratia, in quo subjectatur contrarium gratiæ vid. peccatum



tum mortale: quia contraria sunt in eodem subjecto, & ex eodem se invicem expellunt; atqui peccatum mortale non subjectatur immediatè in animâ, sed in voluntate: quia peccatum mortale est voluntaria & libera transgressio legis divinæ, adeoque actus liber voluntatis à voluntate elicitus & immanens.

R. Distinguendo maj. gratia subjectatur in illo, in quo subjectatur peccatum mortale habituale Con. peccatum mortale actuale N. peccatum mortale habituale opponitur formaliter gratiæ velut oppositum contradictorium ex eodem subjecti excludens & formaliter expellens suum contradictorium: cum peccatum habituale sit voluntaria privatio gratiæ sanctificantis contradictoriè opposita gratiæ habituali; peccatum autem actuale non ita opponitur gratiæ, ut formaliter illam expellat in genere causæ formalis, sed solum expellit illam effectivè, ideoque non requirunt idem immediatum subjectum, sed peccatum actuale subjectatur immediatè in voluntate & gratia subjectatur immediatè in essentiâ animæ

Obj. 2. Gratia in illo subjectatur, cui proxime inest gloria: quia gloria est consummata gratia; atqui gloria non subjectatur immediatè in animâ: quia gloria est ipsa beatitudo formalis, quæ consistit essentialiter in actu intellectus.

R. Distinguendo mi. gloria non est immediatè in essentiâ animæ, in quantum est præcisè beatitudo formalis Con. non subjectatur immediatè in animâ in quantum est gratia consummata N. explico per gratiam creatura rationalis habet Jus ad gloriam, quam gloriam si creatura rationalis sit affecuta, est gratia consummata.

\* \* \*